





Cum Dei auxilio nostra opera coniungamus.

operatione, ac labore opus est: nam per gratiam, quam Deus nobis communicat, potestatem præbet, vt filij Dei efficiamur; at verò dum nos ipsi gratia consentimus, bonumque opus cum illa producimus, tunc filij Dei actu reddimur, ac efficiamur. D. Chrysostomus homil. 9. in Ioan. Cur non dixit, ait, fecit nos filios Dei fieri? Vt ostenderet, multa nobis opus esse diligentia, vt adoptionis nobis, per baptismi impressam, imaginem puram seruemus, atque intactam.

Chrysost.

QUESTIO V.

Quare non petunt hi homines, vt Christus sanet infirmum, sed vt imponat illi manum.

29. Ratio difficultatis.

MANIFESTA erat horum hominum intentio; volebant enim, vt sanitas homini huic concederetur: Cur ergo eam expresse non poscunt, sed tantum vt super infirmum manum imponat?

30.

Respondeo. Quòd hi homines impositionem manus deprecantur à Domino, ipsi enim agnoscebant, alios ab eo impositione manuum fuisse curatos. Marc. 1. num. 31. & 5. num. 41. & 6. num. 5. & 8. num. 23. & 25. Matth. 8. n. 3. & 15. & cap. 9. num. 25. & 19. num. 15. Luc. 13. num. 13. Modum, quo aliis impetiebatur salus, petunt isti homines, suòque infirmo exoptant: à communi, ac vulgari hominum vsu in beneficiis obtinendis discedere nolunt. Viam enim, quam tuis cognoscis vitalem, sequere. Vide tom. 2. cap. 29. quæst. 4. num. 26. 27. & 28. vbi similem quæstionem tractauit.

Marc. 1. 5. 6. & 8. Matth. 8. 9. & 19. Luc. 13.

Via alijs vitalem sequenda.

31.

Si verò quæras: Cur Christus Dominus impositione manuum salutem daret? Respondeo, Hoc fieri, vt salutiferam virtutem suæ sacratissimæ carnis nobis manifestaret, omnèque scirent viuificam vim, quam suum corpus exhalabat. Deinde quia vetus erat antiquorum Patrum consuetudo, corporis sui tactu alios sanare. sic Parentes Elias, & Elifæus pueros suscitauerunt, 3. Regum 17. n. 21. & 4. Regum 4. num. 36. Vnde hoc etiam fortè cognouit Gentilis ille Naaman Syrus, vt obseruat Maldonatus. Iratus Naaman recedebat dicens: Purabam, quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me, 4. Regum 5. num. 11. Et hanc veterum consuetudinem Christus Dominus non spreuit, sed tenuit.

Caro Christi viuifica. Christus antiquorum consuetudinem reuebat.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Maldon. 4. Reg. 5.

32.

Secundò ad quæstionem. Petunt sanitatem, & assignant modum, quo obtinenda sit, nempe impositione manus: non committunt hoc diuinæ prouidentia, sed ipsi præscribunt modum. O magna hominum ignorantia, vt non solum dona sibi appetant, sed etiam illorum affectent determinare formam. In admirabili Domini transfiguratione ait Petrus: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Elia vnum, Matth. 17. n. 4. Exprimat D. Lucas 9. num. 33. Nesciens, quid diceret. Cur Petrus in tantam censuram incurrit? Fortè, quia ipsius mansionis in gloria locum, & modum determinare voluit. Locum, faciam hic, modum, tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, &c.

Matth. 17.

Luc. 9.

33.

Tertidò. Simon Cassianus lib. 5. cap. 25. Habet autem, ait, quid occulti mysterij, & moralis, quod manus expectantur imponenda, & eadem manus sit plas-

Cassian.

mans, & liberans: Manus tua, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me, Iob 10. num. 18. Bene confiteij erant viri isti, quòd Deus in primo molimine rerum suis manibus è puluere terræ hominem in elegantem Dei imaginem formauerit: petunt ergo, vt ipsamet manus admoueat, vt hominem à tanta infirmitatis oppressione liberet; sciebant enim, quòd Deus solet opus suum non deserere, sed multis donis cumulare; & quibus semel benefecit, multiplici largitate replere. Manus tua fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua, Psalm. 118. num. 73. Quid pro se allegat, vt Deus ei det intellectum, ac cognitionem supernaturalem salutis via? Manus tua fecerunt me. D. Ambrosius in citatum Psalm. ferm. 10. ad prædicta verba sic ait: Magno commendationis exordio vsus est, vt opus Dei se esse diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur Auctoris. Grandis enim prerogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus, & beneficijs faueat suis: nec meritum spectet alienum, sed in sua gratia munus intendat, nec videatur abrogare, quod ipse donauit. Quod argumentum sanctus Pater latè progreditur.

Iob 10.

Non decet magnos, opus sui deserere. Psalm. 118.

Ambros.

34.

Quartò. Non rogant eum, vt sanet mutum, & surdum, cum hoc maxime intenderet; sed vt imponat illi manum. Certò enim sciebant, quòd cui Deus tantum beneficium præstaret, vt super eum manum suam imponeret, statim totius salutis, ac sanitatis in eum fluxus descenderet, omnifque bonorum largitate replendus esset: semper enim vna Dei misericordia multas secum adducit.

Vna Dei manus secum affert omnia bona.

35.

Nato Ioanne, cum multa mirabilia in eius ortu effulissent, scribit Lucas 1. num. 66. Posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes, quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Magna admiratione rapiebantur ex puero nato, non tamen tantum ex his, quæ actu videbantur in puero; sed ex his, quæ præferebant in illo esse futura. Quis putas puer iste erit? Et cur maiora autumant in illo in futurum, quàm vident de præfenti, cum tot mirabilia essent perpetrata: sterilis parit, mutus loquitur, Zacharias propheta: dicebant: Etenim manus Domini erat cum illo. Et cum manifestaretur, Dei manum illi adesse; iam inde pro certo statuebant, quod ibi non sisteret, sed puerum in consummatam, ac absolutam perfectionem produceret: sicque ipsa manus, quæ hominem formauerat, ac produxerat, multis maioribus donis eum repleret, ac cumularet. Carthusianus: Quis putas puer iste erit? quasi dicerent, Notabilis valde erit, & crescit in virum eximium; ideo subditur: Etenim manus Domini erat cum illo. Ex eo, quod manus Domini illi aderat, suspicabantur, quod excreferet in virum præclarum.

Ex vna Dei gratia collata sperantur multa.

Carthus.

36.

Manus tua fecerunt me, & plasmauerunt me: totum in circuitu, & sic repente precipitas me? Iob 10. num. 8. Totum se diuinis manibus dicit efformatum, ac plasmatum, totum in circuitu, hoc est ab intus, & extra; intus, & in cute; à capite ad pedes; vel, vt alij Expositores explicant cum Pineda, vt per circuitum intelligat facultates, liberos, familiam, quæ hominem cingunt, & comitantur. Cum autem hæc dona Dei sibi concessa concederet, & aliunde se modo videat multis miseris, amissis bonis, filiis interemptis, salute deperdita Iobus oppressus per admirationem, ac veluti conquerens ait: Et sic repente precipitas me? hoc est ita

Iob 10.

Pineda.

me abiciis à tua pietate; & multis miseris finis deuorari? Expende illud: Et sic. Vnde Iob admiraris? vnde conquereris ex tot calamitatibus? Manus Domini fecerunt me. Ipsis ne Dei manibus incumbit, vt tibi semper faueant, teque semper tueantur? Manus Domini fecerunt me. Non enim solent diuina manus, suam ei clementiam denegare, cui assuetæ sunt benefacere. Cum ergo ipse contrarium experiat, tanquam de re noua, atque inaudita admiratur, ac conqueritur. D. Gregorius Magnus lib. 9. in Iob cap. 36. Et sic repente precipitas me? ait: Ac si aperte dicat, cur tanta vilitate despicias, quem cum tanta dignitate condidisti: & quem ratione rebus ceteris præfers, cur ex dolore supponis?

Valde mirabile, quod Deus primis donis alia dona negat.

Greg. Magn.

Marc. 7. n. 33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius; & expuens tetigit linguam eius.

VERSIONES.

Theophylact. Et cum seduxisset eum de turba seorsum, misit digitos suos in aures eius, & spuito emissio tetigit linguam eius.

Græcus apud Caicetanum. Misit digitos suos expuens in aures, & expuens tetigit linguam.

Arias. Et assumens eum de turba priuatim, iecit digitos.

EXPOSITIO III.

37.

Manibus offerentium, ac deprecantium accepit Christus Dominus surdum, & mutum, de turba seorsum. Græci habent, cum seduxisset eum de turba seorsum, hoc est extra turbam populi, non tamen extra suorum Discipulorum consortium, ac etiam fortè illorum, qui illum offerrebant; nec enim omnia omnibus æqualiter sunt committenda, ac credenda. Extra turbam miraculum operatur, ne videretur popularem laudem affectare. Misit digitos suos. Simon Cassianus minimos digitos interpretatur. Communis tamen Auctorum sententia, digitos indices fuisse, autumat. Euthymius ait, quod misit digitos suos in aures eius: vnum dexteræ manus in dexteram aurem, vnumque sinistræ in sinistram. Contra hoc tamen vrget ratio. Quia Christus aduersus stabat surdo; & inde necesse erat, vt dexterum eius latus surdi sinistro, & sinistrum dextro lateri corresponderet. Poterit aliquis dicere, vt effugiat argumentum, quod Christus posuit brachia transfusa in crucis similitudinem, vt Patriarcha Iacob benedicens filiis Ioseph, Gen. 48. n. 14. Vt inde virtus sanctæ Crucis indicaretur, sub cuius signaculo omnium Dominus miracula operabatur.

Græcus.

Nec omnibus omnia sunt credenda.

Cassian.

Euthym.

Sub Crucis signaculo Christus miraculum operatur.

38.

Christus Dominus duos digitos in duas aures illius immisit; vtrique enim auri restituit audiendi facultatem. Verisimilius est ergo, quod immiserit indicem dexteræ manus in aurem illius sini-

stram; indicem verò sinistræ in aurem illius dexteram. Et expuens tetigit linguam eius. Non expuit Christus in os muti, sed in suum ipsius digitum, ac digito saluam ori matè admouit, vt colligitur ex Græco, hoc enim honestas, & decor exigebant, cum quibus Christus Dominus cuncta operabatur.

QUESTIO VI.

Quare Christus Dominus audita horum hominum deprecatione, nullo verbo dato, statim ad miraculum operandum processit.

ACCEDUNT homines adducentes surdum, & mutum, & pro eius sanitate Dominum deprecantur: qui statim apprehendens eum manu, misit digitos in auriculas, ac spuito in linguam, sanauit eum. Cur non misit Dominus cum his hominibus aliquot verba? Cur hic non interponit aliquam moram, vt superiori capite factum vidimus cum Chananaea, ac cum duabus cæcis clamantibus per totam viam, Matth. 9. n. 27.

39.

Ratio difficultatis.

Respondeo. Primò. Pro filia Dominum rogat Chananaea multa fide, vt ei dicatur: O mulier magna est fides tua. Cum ipsa tamen Dominus iterum, atque iterum multam moram connectit. At cum his deprecantibus absque cunctatione ad miraculum perpetrandum accedit. Chananaea vna erat pro filia rogans: at hic multi aderant exorantes. Oratio autem multorum valde efficax est in Dei conspectu, ipsùmque tenet, vt eam plurimum videatur reuereri Deus, vt nihil ei denegeret. Multas tribulationes passus est Paulus in Asia, & multa alia imminabant. Deus, ait ipse, de tantis periculis nos eripuit, & eruit, quem speramus, quoniam adhuc eripiet, adiuantibus vobis in oratione pro nobis, 2. Corinth. 1. num. 10. Paulus suis discipulis multò sanè excellentior; & tamen se dicit eorum orationibus seruatum, vt notat Chrysostomus homil. in citata Epistola: Ipse quidem, ait, erat illis sublimior, eorum tamen precibus seruatus fuit. Quomodo ergo illorum precibus seruatus est Paulus? Chrysostomus citatus, paulo post, sic ait: Dem frequenter reueretur multitudinem vnam; & consentientem in precando, vt veluti pudore victus non ausit illi denegare. Paulus Apostolus præclarissimum Ecclesiæ lumen, illicque discipuli meritis & valde impares; vnanimi tamen oratione adiuti incolumitatem Pauli à periculis impetrant, quam aliàs non ita vna illius obtineret oratio. Vnde egregiè ait D. Ambrosius lib. de Pœnitentia: Multi animi, dum congregantur vnam, sunt magni: & multorum preces impossibile est contemni. Vide infra.

Math. 9.

40.

Multorum oratio efficacior.

2. Cor. 1.

Chrysost.

Multorum orationem veluti reueretur Deus.

Ambros.

41.

Secundò. Christus in hoc euentu multa miracula operabatur, vt scribit D. Matth. 15. num. 30. Et accesserunt ad eum turba multa, habentes secum multos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Cum Christus Dominus oblatos à turbis curaret infirmos, accesserunt homines isti pro hoc surdo, & mutò deprecantes: tunc Christus ad hoc processit miraculum. Non enim decet, quod, dum princeps totus beneficium se prodit, ac vniuersis sine cunctatione

Matth. 15.

Cum rex multis beneficijs non decet, vt vni sua dona denegeret.